

Confirmatio Legati Apostolici super collatione Villarum Mechnitz, et Ureue, de Anno 1282. 11. Kalend. Julij.

18

Universis presentes inspecturis Philippus miseratione divina Firmianus Episcopus, Apostolicae sedis legatus salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod constitutis in presentia nostra Religioso viro, Dominico preposito Domus Dei, Ordinis Premonstratensis, Wratislaviensis Diocesis, ex una parte, et Chellegio Milite filio quondam Caroli Militis de Oppol. ejusdem Diocesis, ex altera. Idem Chellegius pro se et suis heredibus in perpetuum recognovit, et confessus fuit hereditates et possessiones infra scriptas Mechnitze, et Ureue nominatas, juxta Cracoviam sitas, quas Anastasia filia quondam Wratislai Militis pro anime sue remedio dictam domum in elemosynam perpetuam erogavit, ut contulit perpetuo possidendas, ad domum ipsam pertinere, et spectare de jure, et quia dictam domum Prepositum et Conventum ejusdem super ipsis hereditatibus diu in judicio et extra impetiverat, et molestaverat minus juste, cepit omni jure, actioni et rationi, si qua sibi competere veluti heredi in hereditatibus supradictis, quacumque ratione, vel causa, et ea et hereditates ipsas in manibus dicti Prepositi recipientis, nomine et vice dictae domus libere resignavit et renunciavit expresse, promittens pro se et eius heredibus in perpetuum dictam domum, Prepositum vel Fratres ipsius de cetero non impetere, turbare vel molestare in judicio vel extra super hereditatibus supradictis, per se vel alios, de jure vel defecto, aliqua ratione vel causa, et licet idem Chellegius occasione hereditatum hujusmodi dictam domum, Prepositum et Fratres ipsius multis et gravibus fatigasset laboribus

ribus, et expensis ac damna plurima in predictis bonis et aliis  
ipius domus occasione huiusmodi intelipet. Idem tamen  
prepositus pro se et dicta domo pro bono pacis et concordie omni,  
a damna, labores et expensas predictas libere et absolu-  
te remisit et relaxavit eidem promittens pro se et dicta do-  
mo, ac Fratribus ipsius ipsum Cherlequum vel ejus her-  
edes nullo unquam tempore pro dictis damnis, laboribus  
vel expensis imptere, turbare vel etiam plus molestare,  
Sed de ipis eidem facit pro se et dicta domo plenam re-  
missionem quietationem et finem. Quae omnia et sin-  
gula supra dicta promiserunt, dicta partes, scilicet una  
pars alteri, et altera alteri solemniter stipulanti pro se  
et suis successibus rata et firma perpetuo habere et  
tenere, inviolabiliter attendere et observare et non con-  
travenire, de jure vel de facto, aliqua ratione vel cau-  
sa sub pena quinquaginta marcarum Wratislaviensis ponde-  
ris et argenti ab utraq; parte stipulata et solemniter promissa  
et que pena committatur et cedat parti servanti predicta,  
et per eam exigi possit cum effectu, a parte non servante, et  
pena soluta et non soluta ratum remaneat contractus, et  
in eo contenta, et pro predictis omnibus et singulis atten-  
dendis, et inviolabiliter observandis obligavit una pars  
alteri, et altera alteri omnia sua bona pignori, presentia  
et futura, omni lege, exceptione et defensione remotis.  
Et quia dictus Cherlequus occasione predictorum, auctori-  
te nostra, fuerat excommunicatus, excepto ab eo corpora-  
liter, juramento de parendis super his Ecclesie manda-  
tis et nostris ipsum ab excommunicatione ipsa iuxta for-  
mam Ecclesie divimus absolvendum, injungentes sibi  
sub debito prestiti Juramenti ne de cetero domum ipsam  
Prepositum

Prepositum, vel Fratres ipsius super premissis, impetat,  
 turbet, aggravet, vel molestet; in cuius rei testimoniu  
 um ad instantiam partium predictarum presentes litteras  
 fieri fecimus, et sigilli nostri appensione muniri. Actum  
 et datum apud Wratislaviam in hospitio habitatio,  
 nis nostre, anno Domini MCLXXXVII. Inditione  
 XV. 2. kalend. Julii Pontificatus Martini Domini  
 Papae IV. anno secundo.

L.S.

*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*